

DOMINICA I.

per Verbum prædicatum nostra corda ingreditur, nosq³ sanctificat: de quo sic loquitur: *Pauperibus Evangelium annuntiatur.*

Ultimæ Dominicæ Adventus Evangelium concionatur de Adventu Christi in carnem;

Iohan. 1. de quo Joannes: In medio vestrum stat, quem vos nescitis. Quapropter presentis temporis nomine excitati, quam ingentia beneficia Filius Dei Adventu suo exhibuerit, nobisq³ adhuc exhibeat, atq³ in novissimo die exhibiturus sit. Consideremus

NARRATIO.

cap. 18.
& 19.
HÆc quæ in hodierno Evangelio enarrantur, non hodie sed in die Palmarum facta esse, Lucas testatur.

Veteres autem sapienti consilio instituerunt, ut hisce quatuor septimanis ante festum Nativitatis Christi de quadruplici Christi Adventu conciones ad populum haberentur, eo fine, ut populus istis concionibus quanta beneficia Filius Dei natiuitate suâ nobis exhibuerit, excitaretur, & ad Nativitatis Festum præparetur. *Iesai. 9. Nobis enim natus & datus est.*

Quamobrem & nos institutum majorum nostrorum sequentes ex hodierno Evangelio audiamus.

I. Quo